



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De sacra militia Pipini secundi. Cap. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

paniæ Brabantice habet in ea oratione, quam coram Julio II. Pontifice dixit: Ansegifus, inquit, Chroscum Wandalorum Regem, humani generis, atque Christiani in primis dogmatis hostem cruentissimum, apud Treuiros bello abs se superatum, Belgicam excedere compulit. Constat enim ex Gregorio *lib. 1. c. 32.* Turonensi, & aliis scriptoribus, Croscum ^{34.} Alemannorum Regem multo ante, Valeriano videlicet imperante, qui contra Christianos nouam persecutionem mouit, Gallias vniuersas peruagatum esse, & apud Arelatem gladio verberatum interiisse, nec immerito pœnas quas sanctis Dei intulerat luisse.

Interim dubitandum non est, quin Princeps Deum timens, paratus semper fuerit Austrasiæ regnum ab omnibus Barbarorum & hæreticorum incurfibus tueri: cum ex sacramento & fidelitate Ducatus & Marchionatus, ac primæ in regno præfecturæ, vnde Maior dictus est, tripliciter ad id faciendum deuinctus fuerit. Non enim tantum Dux & maior domus fuit, sed, quemadmodum multi annotarunt, in præfectura limitanea patri suo sancto Arnulpho successit, Marchio Antuerpiensis.

De sacra militia PIPINI secundi.

C A P. I X.

ANSEGISO successit Pipinus secundus Austrasiorum Dux, quem Ado Viennensis

*IIII. Brabantia Dux
Pipinus Her-
stallius.*

nenfis Archiepiscopus scribit sub Regibus annis viginti septem principatum obtinuisse. Hic sicut nomen aui, ait Stephanus Abbas, ita & virtutem cum dignitate referens, eò magnitudinis excreuit & potestatis, vt in tota Austraia etsi non regio nomine, regia tamen dominaretur potestate. Multa namque præclara bella gerens, in omnibus victor euasit.

Horum quidem primum fuit Frisonicum, contra Regem Radbodum. De quo inter
ib. s. hist. alios Beda, Egbertus, inquit, tentauit in opus
Angl. cap. 11. verbi mittere viros sanctos & industrios duodecim, in quibus eximius Willibrordus presbyterij gradu & merito præfulgebat. Qui diuertentes ad Pipinum Ducem Francorum, gratanter ab illo suscepti sunt. Et quia nuper citeriorem Frisiam, expulso inde Radbodo Rege, ceperat, illò eos ad prædicandum misit. Ipse quoque imperiali auctoritate iuuans, ne quis prædicantibus quidquam molestiæ inferret, multisque eos, qui fidem suscipere vellent, beneficiis attollens.

Habuit & alia contra infideles bella. Multa, inquit Ado, bella gessit contra Radbodum gentilem Frisonum Ducem. Similiter contra Sueuos, vel alias complures gentes. Erant autem Sueui Flandrorum populi, è quibus Eligius Audoëno teste multos ab errore conuertit. Suntque cum Menapiis à Nordmanis Curtraci hibernantibus ad internecionem

nem deleti, vti ab historiis Francorum memoria traditum est.

Fuit postremò Pipini sacrum contra Regis Theodorici tyrannidem bellum. De quo breuiter Sigebertus scribit ad annum 100. xci. Pipinus sibi Neustriam subiugat, & sub Theodorico Rege toti regno principando statum rerum meliorat: sanctum quoque Lambertum in Traiectensi præfulatu relocat. Et Stephanus Abbas: Pipinus multa præclara bella gerens, de omnibus fortiter triumphauit, ipsumque Regem Francorum Theodoricum bello superans in fugam vertit. Sed & B. Lambertum, factione iniquorum de Episcopatu deiectum, in cathedra sua decen- tissimè collocauit.

De CAROLI MARTELLI sacris victoriis, præcipuè duabus contra Sarracenos.

C A P. X.

PIPINVS Princeps obiit, ait Sigebertus, v. Brabantie Dux. anno 1000. xiv. & filium suum ex Alpaide, Carolum Tuditem siue Martellum cognomento, principatus sui hæredem reliquit. Accepit autem hæc cognomina, quia hostes quasi martello contundere videbatur. Ipse enim antiquas patrum victorias excedens, mirabiles triūphos de Ducibus ac Regibus, de populis & barbaris nationibus reportauit.

Consecutus est autem perpetuam & immortalem laudem, ex victoriis contra Sarracenos, quos duobus bellis planè contriuit: de
qui-